

Universitätsbibliothek Wuppertal

M. VAL. MARTIALIS

Martialis, Marcus Valerius

AMSTELODAMI, 1628

Epigrammatum

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-711](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-711)

M. VAL.

MARTIALIS XENIA.

Epigrammatum LIBER XIII.

Ad Lectorem.

Ne roga cordyllis, ne pænula defit olivis,
 Aut inopem metuat sordida blatta famem,
 Perdite Niliacas, Musæ, mea damna papyros:
 Postulat, ecce, novos ebria Bruma sales.
 Non mea magnanimo depugnat tessera talo,
 Senio nec nostrum cum cané quassat ebor.
 Hæc mihi charta nuces, hæc est mihi charta fri-
 tillus:
 Alea nec damnum nec facit ista lucrum.

Ad eundem.

Nasutus sis usque licet, sis denique nasus,
 Quantum noluerit fetre togatus Atlas.
 Et possis ipsum tu deridere Latinum,
 Non potes in ungas dicere plura meas,
 Ipse ego quam dixi. quid dentem denté juvabit
 Roderé ? carne opus est, si satur esse velis.
 Ne perdas operam : qui se mirantur, in illos
 Virus habe ; nos hæc novimus esse nihil.
 Nec tamen hoc nimium nihil est, si candidus aure,
 Nec matutina si mihi fronte venis.

Ad eundem.

Omnis in hoc gracili XENIORVM turba libello
 Constabit numinis quattuor empra tibi.
 Quattuor est nimium ? poterit constare duobus,
 Et faciet lucrum bibliopola Tryphon.

Ad eundem.

Hæc licet, hospitibus pro munere disticha mittas,
 Si tibi tam rarus, quam mihi, nummus erit.
 Addita per titulos sua nomina rebus habebis.
 Prætereas, si quid non facit ad stomachum.

XENIA.

Thus. 1.

Serus ut ætheriæ Germanicus imperet aula,
Vtique diu terris; da pia thura Iovi.

Piper. 2.

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cum tibi forte datur, si sapis, adde piper.

Alica. 3.

Nos alicam, mulsam poterit tibi mittere dives.
Si tibi noluerit mittere dives, eme.

Conchis faba. 4.

Si spumet rubra conchis tibi pallida testa,
Lautorum cocuis sæpe negare potes.

Lens. 5.

Accipe Niliacam, Pelusia mœnera, lentem:
Vilior est alica, carior illa faba.

Far. 6.

Imbue plebejas Clusinis pultibus ollas,
Vt satur in vacuis dulcia musta bibas.

Simila ex tritico. 7.

Nec poteris similæ dotes numerare, nec usus,
Pistori toties cum sit & apta coco.

Hordeum. 8.

Mulso, quod non des taciturnis, accipe, mulsis,
Hæc ego cauponi, non tibi dona dedi.

Fru mentum triticeum. 9.

Tercentum Libyci modios de messe colouî.
Sume, suburbanus ne moriatur ager.

Betæ. 10.

Vt sapiant fatuæ fabrorum prandia betæ,
O quam sæpe petet vina piperque cocus?

Lactuca. 11.

Claudere quæ coenas lactuca solebat avorum.
Dic mihi, cur nostras iuchoat illa dapes?

Ligna.

Ligna acapna. 12.

Si vicina tibi Noimento rura coluntur,
Ad villam moneo, rustice, ligna feras.

Rapa. 13.

Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa
Quædamus, in cœlo Romulus esse solet.

Coliculi. 14.

Ne tibi pallentes moveant fastidia caules,
Nitrata viridis brassica fiat aqua.

Porri sectivi. 15.

Fila Tarentini graviter redolentia porri
Edisti quoties, oscula clusa dato.

Porri capitati. 16.

Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:
In niveo virides stipite cerne comas.

Napi. 17.

Nos Amiternus ager felicibus educat hortis:
Nursinas poteris parcius esse pilas.

Asparagi. 18.

Mollis in æquorea quæ crevit spina Ravenna:
Non erit incultis gratior asparagis.

Vva duracina. 19.

Non habilis cyathis, & inutilis uva Lyxo,
Sed non potanti me tibi nectar ero.

Chia ficus. 20.

Chia seni similis Baccho, quem Seria mittit,
Ipsa merum secum portat, & ipsa sale.

Cydonia. 21.

Si tibi Cecropio saturata Cydonia melle
Ponentur: dicas hæc melimela, licet.

Nuces pineæ. 22.

Poma sumus Cybeles: procul hinc abiste viator,
Ne cadat in miserum nostra ruina caput.

Sorba,

Sorba, 23.

Sorba fumus, molles nimium durantia ventres:
Aptius hæc puero, quam tibi, poma dabis.

Spathalion caryotarum, 24.

Aurea porrigitur, Iauī caryota Kalendis:
Sed tamen hoc munus pauperis esse solet.

Vas coctanorum, 25.

Hæc tibi quæ tortæ venerunt condita meta,
Si majora forent coctana, ficus erant.

Vas Damascenorum, 26.

Pruna peregrinæ carie rugosa senectæ
Sume: solent duri solvere ventris onus.

Casus lunensis, 27.

Casus Etruscæ signatus imagine Lunæ,
Præstabit pueris prandia mille tuis.

Casus Vestinus, 28.

Si sine carne voles ientacula sumere frugis,
Hæc tibi Vestino de grege malsa venit.

Casus Velabrensis, 29.

Non quemcuq; focum, nec fumum casus omnem
Sed Velabrensem qui bibit, ille sapit.

Casus Trebulani, 30.

Trebula nos genuit: commendat gratia duplex,
Sive levi flamma, sive domamur aqua.

Bulbi, 31.

Cum sit anus conjux, & sint tibi inortua membra,
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Lucanica, 32.

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ:
Pultibus hinc niveis grata corona datur.

Cistella olivarum, 33.

Hæc quæ Picenis venit subducta traperis
Iuchoat atque eadem finit oliva dapes.

Mala

Mala citrea, 34.

Aut Corcyraei sunt hæc de frondibus hortis
Aut hæc Malsyli poma draconis erant.

Colostrum, 35.

Surripuit pastor quæ nondum stantibus hædis
De primo matrum lacte colostrum damus.

Hædi, 36.

Lascivum pecus & viridi non utile Baccho
Det poenas: nocuit jam teuer ille deo.

Ova, 37.

Candida si croceos circumfluit unda vitellos,
Hesperius scombri temperet ova liquor.

Porcellus lactens, 38.

Lacte mero pastum pigrae mihi matris alumnum
Ponat, & Astolo de sue dives edat.

Apyrina & tuberes, 39.

Non tibi de Libycis tuberes & apyrina ramis,
De Nomentanis sed damus arboribus.

Idem, 40.

Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis,
Et vernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?

Sumen, 41.

Esse potes nudum sumen, sic ubere largo
Effluit, & vivo lacte papilla tumet.

Pulli gallinacei, 42.

Si Libycæ nobis volucres, & Phasides essent,
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

Persica Nuci-Persica, 43.

Vilia maternus fueramus Persica ramis,
Nunc iam adoptivis Persica cara sumus.

Panes Picentini, 44.

Picentina Ceres niveo sic nectare crescit,
Vi levis accepta spongia turget aqua.

Boletis

Boleti, 45.

Argentū; atque aurum, facile est, lanamq; togamq;
Mittere: boletos mittere difficile est.

Ficedula, 46.

Cum me ficus alat, cum pascat dulcibus uvis,
Cur potius nomen non dedit uva mihi?

Terra tubera, 47.

Rumpimus altricem tenero quæ vertice terram,
Tubera, boletis poma secunda sumus.

Turdorum decuria, 48.

Texta rosis fortasse tibi, vel divite nardo,
At mihi de turdis facta corona placet.

Anas, 49.

Tota quidem ponatur anas; sed pectore tantum,
Et cervice sapit: cætera redde coco.

Turtur, 50.

Dum pinguis mihi turtur erit: lactuca valebis,
Et cochleas tibi habe. perdere nolo famem.

Perna, 51.

Cæretana mihi fiet, vel missa licebit
De Menapis; lauri de petasone vorent.

Petaso, 52.

Musteus est; propera, caros nec differ amicos;
Nam mihi cum vetulo sit petasone nihil.

Vulva, 53.

Te fortasse magis capiat de virgine porca,
Me materna gravi de sue vulva capit.

Colocasia, 54.

Niliacum ridebis olus, lanasque sequaces,
Improbacum morfu fila manuque trahes.

Iecur anseris, 55.

Adspice, quam tumeat magno jecur anseris majus;
Miratus, dices; hoc, rogo, crevit ubi?

Glires;

Glives. 56.

Tota mihi dormitur hiems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil nisi somnus alit.

Cuniculus. 57.

Gaudet in effossis habitare cuniculus avtris,
Monstravit tacitas hostibus ille vias.

Attagena. 58.

Inter sapes fertur alitum primus
Ionicarum gultus attagenarum.

Gallina al ilis. 59:

Pascitur & dulci facilis gallina farina;
Pascitur & tenebris. ingeniosa gula est.

Capo. 60.

Ne nimis exhansto maeresceret inguine gallus,
Amisit testes: nunc mihi Gallus erit.

Idem. 61.

Succumbit sterili frustra gallina marito:
Hanc matris Cybeles esse decebat avem.

Perdix. 62.

Tonitur Ausoniis perdix rarissima mensis:
Hanc in piscina mandere saepe soles.

Columbilli. 63.

Ne violes teneras perjuro dente columbas,
Tradita si Cnidiae sunt tibi sacra Deae.

Palumbi torquati. 64.

Inguina torquati tardant hebetantque palumbi:
Non edat hanc volucrem, qui cupit esse sata x.

Galbula. 65.

Galbina decipitur calamis & retibus ales,
Turget adhuc viridi cum rudis uva mero.

Catta. 66.

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas:
Mavult hęc Domino mittere dona Pudens.

PAVO

Pavo. 67.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Et potes hunc sævo tradere, dure, coco?

Phœnicopterus. 68.

Dat mihi penna rubens nomen : sed lingua gulosis
Nostra sapit. quid si garrula lingua foret?

Phasianus. 69.

Argiva primum sum transportata carina:
Ante mihi votum nil, nisi Phatis, erat.

Numidica. 70.

Anferre Romano quamvis satur Hannibal esset:
Ipse suas nunquam barbarus edit aves.

Anser. 71.

Hæc servavit avis Tarpeji templa Tonantis.
Miraris? nondum fecerat illa Deus.

Grues. 72.

Turbabis versus, nec littera tota volabit,
Vnam perdidideris si Palamedis avem.

Rusticula. 73.

Rustica sum, an perdix, quid refert, si sapor idem est?
Carior est perdix : sic sapit illa magis.

Cycnus. 74.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cycnus funeris ipse sui.

Porphyriones. 75.

Nomen habet inagni volucris tam parva Gigantis?
Et nomen Prañni Porphyrionis habet!

Mullus. 76.

Spirat in advecto, sed jam piger, æquore nullus:
Languescit? vivum da mare, fortis erit.

Muræna. 77.

Que natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exu statim mergere sole cutem.

homo

Rhombus, 78.

Quamvis lata gerat patella rhombum:
Rhombus latior est tamen patellâ.

Ostrea, 79.

Ebria Bajano veni modo concha Lucrino:
Nobile nunc sitio luxuriosa garum.

Scylla, 80.

Cæruleus nos Liris amat, quem silva Maricæ
Protegit: hinc scyllæ maxima turba sumus.

Scarus, 81.

Hic scarus, æquoreis qui venit obesus ab undis,
Visceribus bonus est: cætera vile sapit.

Coracinus, 82.

Princeps Niliaci raperis, coracine, macelli:
Pellæ prior est gloria nulla gulæ.

Echinus, 83.

Iste licet digitos testudine pungat acutâ,
Cortice deposito mollis echinus erit.

Murices, 84.

Sanguine de nostro tinctas ingrate lacernas
Induis, & non est hoc satis, esca sumus.

Gobius, 85.

In Venetis sint lauta licet convivia terris,
Principium cœnæ gobius esse solet.

Lupus, 86.

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Æquoreo dulces cum sale pastus aquas.

Aurata, 87.

Non omnis laudem pretiunque aurata meretur,
Sed cui solus erit concha Lucrina cibus.

Acipensis, 88.

Ad Pallatinas acipensem mitte mensas:
Ambrosias ornent munera rara dapes.

T

Lepus

Lepus, 89.

Inter aves turdus, si quid me iudice certum est,
Inter quadrupedes mactea prima lepus.

Aper, 90.

Qui Diomedæis metuendus fetiger agris
Ætolâ cecidit cuspide, talis erat.

Dama, 91.

Dente timentur apri: defendunt cornua tauros:
Inbelles damæ quid, nisi præda, sumus?

Oryx, 92.

Matutinarum non ultima præda ferarum
Sævus oryx, constat quot mihi morte canum?

Cervus, 93.

Hic erat ille tuo dominus, Cyparisse, capistro?
An magis iste tuus, Silvia, cervus erat?

Laliso, 94.

Cum tener est onager, solaque laliso matre
Pascitur, hoc infans, sed breve nomen habet.

Oleum Venæfranum, 95.

Hoc tibi Campani sudavit bacca Venæfri:
Vnguentum, quoties sumis, & istud olet.

Dorcas, 66.

Delicium parvo donabis dorcada nato;
Lactatis solet hanc mittere turba togis.

Caprea, 97.

Pendentem summa capream de rupe videbis:
Casuram speres; decipit illa canes.

Onager, 98.

Pulcher adest onager: mitti venatio debet.
Dentis Erythræi jam remove te sinus.

Garum sociorum, 99.

Exspirantis adhuc scombri de sanguine primo
Accipe fastosum, munera cara, garum.

Amphora.

Amphora muria, 100.

Antipolitani (fateor) sum filia thynni :
Essem si scombri, non tibi missa forem.

Mel Atticum, 101.

Hoc tibi Thesei populatrix misit Hymetti
Pallados à silvis nobile nectar apis.

Favi Siculi, 102.

Cum dederis Siculos mediis de collibus Hyblæ,
Cecropios dicas tu, licet, esse favos.

Passum, 103.

Cnosia Minoræ genuit vindemia Cretæ
Hoc tibi: quod multum pauperis esse solet.

Picatum vinum, 104.

Hæc de vitifera venisse picata Vienna,
Ne dubites; misit Romulus ipse mihi.

Mulsum, 105.

Attica nectareum turbatis mella Falernum;
Misceri decet hoc à Ganymede merum.

Albanum, 106.

Hoc de Cæsareis mitis vindemia cellis
Misit, Iuleo quæ sibi monte placet.

Surrentinum, 107.

Surrentina bibis? nec murrhina picta, nec aurum
Sumet: dabant calices hæc tibi vina suos.

Falernum, 108.

De Sinuessanis venerunt Massica prælis:
Conditâ quo, quæris, consule? nullus erat.

Seinum, 109.

Pendula Pomptinos quæ spectat Setia campos,
Exigua vetulos misit ab urbe cados.

Fundanum, 110.

Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi:
Expressit mustum consul, & ipse bibit.

Trifolinum, III.

Non sum de primo (fateor) trifolina Lyæo,
Inter vîna tamen septima vitis ero.

Cacubum, III 2.

Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis:
Vitis & in mediâ nata palude viret.

Signinum, III 3.

Potabis liquidum Signina morantia ventrem:
Ne nimium sistant, sit tibi parca sitis.

Mamertinum, III 4.

Amphora Nestoræa tibi Mamertina fenestrâ
Si detur, quod vis nomen habere potest.

Tarraconense, III 5.

Tarraco, Campano taurum celsura Lyæo,
Hæc genuit Tuscis æmula vîna cadis.

Nomentanum, III 6.

Nomentana meum tibi dat vindemia Bacchum:
Si te Quinctus amat, commodiora bibes.

Spoletinum, III 7.

De Spoletinis quæ sunt cariola lagenis
Malueris, quam si multa Falerna bibas.

Pelignum, III 8.

Marfica Peligni mittunt turbara coloni:
Non tu, libertus sed bibat illa tuus.

Acetum, III 9

Amphora Niliaci non sit tibi vilis acetis:
Esset cum vinum, vilior illa fuit.

Massilitanum, III 10.

Cum tua centenos expugnet sportula ciues,
Fumea Massiliæ ponere vîna potes,

Cæretanum, III 11.

Cæretana Nepos ponat, Serina putabis.
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Taren-

Tarentinum. 122.

Nobilis & Ianis, & felix vitibus Aulon,
 Det pretiosa tibi vellera, vina mihi.

Vnguentum. 123.

Vnguentum heredi nunquam, nec vina relinquis:
 Ille habeat nummos, hæc tibi tota dato.

Corona rosea. 124.

Dat festiuatas, Cæsar, tibi Bruma coronas:
 Quondam veris erat, nunc tua facta rosa est.

M. VAL.

MARTIALIS

APOPHORETA.

Epigrammatum

LIBER XIV.

Ad Lectorem.

Synthesibus dum gaudet eques, dominusque fe-
 natus;
 Dumque decent nostrum pilea sumpta Iovē:
 Nec timer ædilem moto spectare fritillo,
 Cum videat gelidos tam prope verna lacus:
 Divitis alternas & pauperis accipe sortes,
 Præmia convivæ det sua quisque suo.
 Sunt apinæ, tricæque, & si quid vilius istis,
 Quis nescit? vel quis tam manifesta negat?
 Sed quid agam potius madidis Saturne diebus,
 Quos tibi pro coelo filius ipse dedit?
 Vis scribam Thebas, Trojamve, malasve Mycenas?
 Lude, inquis, nucibus: perdere nolo nuces.

Ad eundem.

Quovis cunque loco potes hunc finire libellum:
 Versibus explicatum est omne duobus opus.

Lemmata, si quæris, cur sint adscripta ; docebo ;
 Ut, si malueris, lemmata sola legas.

Pugillares citrei. 1.

Seeta nisi in tenues essemus ligna tabellas,
 Essemus Libyci nobile dentis onus.

Quincuplices. 2.

Cæde juvenorum domini calet arca felix,
 Quincuplici cera cum datur auctus honore.

Pugillares eborei. 3.

Languida ne tristes obscurent lumina ceræ,
 Nigra tibi niveum littera pingat ebur.

Triplices. 4.

Tunc triplices nostros non vilia dona putabis,
 Cum se venturam scribet amica tibi.

Pugillares membranei. 5.

Esse putes ceras, licet hæc membrana vocetur ;
 Delebis, quoties scripta novare voles.

Vitelliani. 6.

Nondum legerit hos licet puella,
 Novit quid cupiant Vitelliani.

Idem. 7.

Quod minimos cernis, mitti nos credis amicæ ?
 Falleris, & nummos ista tabella rogat.

Charta maiores. 8.

Non est, munera quod putes pusilla,
 Cum donat vacuas Poëta chartas.

Charta epistolares. 9.

Seu leviter noto, se u caro missa sodali,
 Omnes ista solet charta vocare suos.

Loculi eborei. 10.

Hos nisi de flava loculos implere moneta
 Non decet ; argentum vilia ligna ferant.

Loculæ

Loculi lignei. 11.

Si quid adhuc superest in nostri fæce locelli,
Munus erit : nihil est, ipse locellus erit.

Tali eborei. 12.

Cum steterit nullus vultu tibi talus eodem,
Munera me dices magna dedisse tibi.

Tessera. 13.

Non sim talorum numero par tessera, dum sit
Major, quàm talis, alea sæpe mihi.

Turricula. 14.

Quærit compositos manus improba mittere talos?
Si per me misit, nil nisi vota facit.

Tabula lusoria. 15.

Hic mihi bis-seno numeratur tessera puncto :
Calculus hic gemino discolor hoste perit.

Nuces, 16.

Alea parva nuces & non damnosa videntur :
Sæpe tamen pueris abstulit illa nates.

Theca calamaria. 17.

Sortitus thecam, calamis armare memento :
Cætera nos dedimus, tu leviora para.

Calculi. 18.

Insidiosorum si ludis bella latronum,
Gemmeus iste tibi miles & hostis erit.

Graphiarium. 19.

Hæc tibi erunt armata suo graphiaria ferro :
Si puero dones, non leve munus erit.

Dentiscalpium. 20.

Lentiscum melius ; sed si tibi frondea cusplis
Defuerit, dentes penna levare potest.

Auriscalpium. 21.

Si tibi morosa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Acus aurea. 22.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,
Figat acus sparsas sustineatque comas.

Pecten, ad calvam. 23.

Quid faciet nullos hic inventura capillos.
Multifido buxus quæ tibi dente datur?

Sapo. 24.

Cautica Teutonicos accendit spuma capillos:
Captivis poteris cultior esse comis.

Mattiaca pile. 25.

Si mutare paras longævos cana capillos:
Accipe Mattiacas (quo tibi calva?) pilas.

Umbella. 26.

Accipe quæ nimios vincant umbracula soles:
Sic licet & ventus, te tua vela tegent.

Causia. 27.

In Pompejano tecum spectabo theatro:
Nam ventus populo vela negare solet.

Venabula. 28.

Excipient apros, expectabuntque leones.
Intrabunt urfos, sit modo firma manus.

Culter venatorius. 29.

Si dejecta gemes longo venabula rostro,
Hic levis in grandem cominus ibit aprum.

Parazonium. 30.

Militiæ decus hoc, & grati nomen honoris,
Arma tribunicium cingere digna latus.

Pugio. 31.

Pugio, quem curva signat brevis orbita vena,
Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.

Falx ex ense. 32.

Pax me certa ducis placidos curvavit in usus:
Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Secu-

Securicula. 33.

Cum fieret tristis solvendis auctio nummis,
Hæc quadringentis millibus empta fuit.

Ferramenta tonsoria. 34.

Tondendis hæc arma tibi sunt apta capillis;
Vnguibus hæc longis utilis; illa genis.

Scrinium. 35.

Constrictos nisi das mihi libellos,
Admittam tineas trucesque blattas.

Fasces calamorum. 36.

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus;
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Lucerna cubicularia. 37.

Dulcis conscia lectuli lucerna,
Quidquid vis facias, licet; tacebo.

Candela. 38.

Ancillam tibi fors dedit lucernæ,
Totas quæ vigil exigit tenebras.

Lucerna polymyxos. 39.

Illustrem cum tota meis convivia flammis,
Torque geram myxas, una lucerna vocera.

Cereus. 40.

Hic tibi nocturnos præstabit cereus ignes:
Subducta est puero namque lucerna tuo.

Candelabrum Corinthium. 41.

Nomina candelæ nobis antiqua dederunt:
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Candelabrum ligneum. 42.

Esse vides lignum; ferves nisi lumina, fiet
De candelabro ma gna lucerna tibi.

Pila paganica. 43.

Hæc quæ difficilis turget paganica pluma,
Folle minus laxa est, & minus arcta pila.

Pila

Pila trigonalis. 44.

Si me scis Polybi levis expulsare sinistris,
Sum tua : si nescis, rustice, redde pilam.

Follis. 45.

Ite procul juvenes, mitis mihi convenit aetas :
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Harpasta. 46.

Hæc rapit Antæi velox in pulvere draucus,
Grandia qui vano colla labore facit.

Halteres. 47.

Quid pereunt stulto fortes haltere lacerti ?
Exercet melius vinea fossa viros.

Galericulum. 48.

Ne lutez immundum nigridos ceroma capillos,
Hac poteris madidas condere pelle comas.

Strigiles. 49.

Pergamus has misit, curvo desstringere ferro,
Non tam sæpe teret lintea fullo tibi.

Guttus corneus. 50.

Gestavit modo fronte me juvenicus,
Verum rhinoceros me putabis.

Rhinoceros. 51.

Nuper in Aufonia Domini spectatus arena
Hic erit ille tibi, cui pila taurus erat.

Crepitacillum. 52.

Si quis plorator collo tibi vernula pender,
Hæc quætiat tenera garrula sinistra manu.

Flagellum. 53.

Proficies nihil, hoc cædes licet usque flagello,
Si tibi purpureo de grege currit equus.

Dentifricium, ad edentulam. 54.

Quid mecum est tibi ? me puella sumat,
Emptos non soleo polire dentes.

Myro-

Myrobalanum. 55.

Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus,
Hoc ex unguento constat & ex balano.

Aphronitrum. 56.

Rusticus es? nescis quid Græco nomine dicar.
Spuma vocor vitri: Græcus es? ἀφρόνιτρον.

Opobalsama. 57.

Balsama me capiunt. hæc sunt unguenta virorum:
Delicias Cosini vos redolet nurus.

Lomentum. 58.

Gratum munus erit, scilicet nec inutile ventri,
Si clara Stephani balnea luce petes.

Laterna cornea. 59.

Dux laterna viæ clausis feror aurea flammis,
Et tuta est gremio parva lucerna meo.

Laterna ex vesica. 60.

Cornea si non sum, numquid sum fuscior? aut me
Vesicam contra qui venis esse putat?

Fistula. 61.

Quid me compactam ceris & arundine rides?
Quæ primum structa est fistula, talis erat.

Tibia. 62.

Ebria nos madidis rumpit tibia buccis:
Sæpe duas pariter, sæpe monaulon habet.

Solea lanata. 63.

Defuerit si forte puer, soleasque libebit
Sumere: pro puero pes erit ipse tibi.

Mamillare, ad mammosam. 64.

Taurino poteris pectus constringere tergo:
Nam pellis mammas non capit ista tuas.

Muscarium pavvinnium. 65.

Lambere quæ turpes prohibet tua prandia muscas,
Alijs eximiæ cauda superba fuit.

Copta Rhodia. 66.

Peccantis famuli pugno ne percute dentes :
Clara Rhodos coptam, quam tibi misit, edat.

Priapus filigineus. 67.

Si vis esse satur, nostrum posses esse Priapum :
Ipsa licet rodas inguina, purus eris.

Porcus. 68.

Iste tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Iuter spumantes ilice pastus apros.

Muscarium bubulum. 69.

Sordida si flavo fuerit tibi pulvere vestis,
Colligat hunc tenui verbere cauda levis.

Botulus. 70.

Qui venit botulus medio tibi tempore Brumæ,
Saturni septem venerat ante dies.

Pfittacus. 71.

Pfittacus à vobis aliorum nomina discam :
Hoc didici per me dicere, Cæsar ave.

Corvus. 72.

Corve salutator, quare fellator haberis ?
In caput intravit mentula nulla tuum.

Luscinia. 73.

Flet Philomela nefas incesti Tereos, & quæ
Mura puella fuit, garrula ferrur avis.

Pica. 74.

Pica loquax certa dominum te voce saluto :
Si me non videas, esse negabis avem.

Cavea eborea. 75.

Si tibi talis erit, qualem dilecta Catullo
Lesbia plorabat, hic habitare potest.

Narthecium. 76.

Artis ebur medicæ narthecia cernis habere
Munera, quæ cuperet Paccius esse sua.

Flagra

Flagra, 77.

Ludite lascivi, sed tantum ludite, servi:
Hæc signata mihi quinque diebus erunt.

Ferula, 78.

Invisæ nimirum pueris, gratæque magistris,
Clara Promethæo munere ligna sumus.

Pera, 79.

Ne mendica ferat barbari prandia nudi,
Dormiat & tristi cum cane, pera rogat.

Scopæ, 80.

In pretio scopas testatur palma fuisse:
Otia sed Icopis nunc analecta dabit.

Scalptorium, 81.

Defendet manus hæc scapulas mordente molesto
Pulice, vel si quid pulice sordidius.

Manuale, 82.

Ne toga barbatos faciat vel pænula libros,
Hæc abies chartis tempora longa dabit.

Lectus pavoninus, 83.

Nomina dat spondæ pictis pulcherrima pennis
Nunc Iunonis avis, sed prius Argus erat.

Ephippium, 84.

Stragula succincti venator sume veredi:
Nam solet à nudo surgere ficus equo.

Stibadia, 85.

Accipe Iunatâ scriprum testudine sigma.
Octo capit: veniat, quisquis amicus eris.

Gustatorium, 86.

Ecce mineam nobis cherson si credis inesse,
Deciperis: pelagi mascula præda sumus.

Mensa citrea, 87.

Accipe felices, Atlantica munera, silvas:
Aurea qui dederit dona, minora dabit.

Menstr

Figura

Mensa acerna, 88.

Non sum crispa quidem, nec silvæ filia Mauræ:
Sed norunt lautas & mea ligna dapes.

Dentes ebores, 89.

Grandia taurorum portant qui corpora, quæris.
An Libycas possint sustinuisse trabes?

Quincupedal, 90.

Puncta notis ilex, & acuta cuspide clusa,
Sæpe redemptoris prodere furta solet.

Pocula archetypa, 91.

Non est ista recens, nec nostri gloria cali:
Primus in his Mentor, dum facit illa, bibit.

Calices audaces, 92.

Nos sumus audaces, plebeja toreumata vittis:
Nostra nec ardenti gemina feritur aqua.

Phiala aurea calata, 93.

Quamvis Callaico rubeam generosa metallo,
Glorior arte magis: nam Myos iste labor.

Calices Vatini, 94.

Vilia sutoris calicem monumenta Vatini
Accipe: sed nasus longior ille fuit.

Lances chrysendeta, 95.

Grandia ne viola parvo chrysendeta mullos:
Vt minimum, libras debet habere duas.

Vasa Aretina, 96.

Aretina nimis ne spernas vasa, monemus:
Lautus erat Tuscis Porfena fœtibus.

Bascauda, 97.

Barbara de pictis veni bascauda Britannis:
Sed me jam mavult dicere Roma suam.

Panaca, 98.

Si non ignora est docti tibi terra Catulli,
Potasti, resta Rhætica vina mea.

Boletaria, 99.

Cum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, (pudet, heul) servio coliculis.

Calices Surrentini, 100.

Accipe non vili calices de pulvere natos:
Sed Surrentinæ leve torenna rotæ.

Colum nivarium, 101.

Setinos, moneo, nostra nive frange trientes:
Paupere mero tingere lina potes.

Saccus nivarius, 102.

Attenuare nives norunt & lintea nostra:
Frigidior colo non salit unda tuo.

Urceoli ministratori, 103.

Frigida non desit, non deërit calda petenti:
Sed tu morosa ludere parce siti.

Urceus fictilis, 104.

Hic tibi donatur pauda ruber urceus anfa:
Stoicus hoc gelidam Fronto petebat aquam.

Calathi, 105.

Nos Satyri, nos Bacchus amat, nos ebria tigris,
Perfusos domini lambere docta pedes.

Calices Saguntini, 106.

Quæ non sollicitus teneat fervetque miniters,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Calices gemmati, 107.

Gemmatum Scythicis ut luceat ignibus aurum,
Adspice: quot digitos exuit ille calix!

Ampulla potoria, 108.

Hac licet in gemma, quæ servat nomina Cosmi,
Luxuriose bibas, si foliata suis.

Crystallina, 109.

Frangere dum metuis, franges crystallina: peccant
Securæ nimium sollicitæque manus.

Nimbus vitreus, 110.

Ab Iove qui veniet miscenda ad pocula largas
Fundet nimbus aquas; hic tibi vina dabit.

Myrrhina, 111.

Si calidum potas, ardenti myrrha Falerno
Convenit, & melior fit sapor inde mero.

Patella Cumana, 112.

Hanc tibi Cumano rubicundam pulvere testam,
Municipem misit casta Sibylla suam.

Calices vitrei, 113.

Adspicis ingenium Nili: quibus addere plura
Dum cupit, ah, quoties perdidit auctor opus?

Lagena nivarica, 114.

Speletina bibis, vel Maris condita cellis;
Quò tibi decoctæ nobile frigus aquæ?

Nives, 115.

Non potare nivem, sed aquam potare rigentem
De nive, commenta est ingeniosa suis.

Idem, 116.

Massiliæ fumos miscere nivalibus undis
Parce, puer; constet ne tibi pluris aque.

Matella fibrilis, 117.

Dum poscor crepitu digitorum, & verna moratur;
O quoties pellex culcita facta mea est!

Ligula argentea, 118.

Quamvis me ligulam dicant equitesque, patresq;
Dicor ab indoctis ligula grammaticis.

Cochlearia, 119.

Sum cochleis habilis, sed nec minus utilis ovis:
Num quid scis potius cur cochleare vocer?

Annuli, 120.

Ante frequens, sed nunc rarus nos donat amicus:
Felix cui comes est non alienus eques.

Dactyliotheca. cxxj.

Sæpe gravis digitis elabitur annulus unctis :
Tuta mea fiet sed tua gemma fide.

Toga. cxxij.

Romanos rerum dominos, gentemque togaram
Ille facit, magno qui dedit astra patri.

Idem. cxxiiij.

Si matutinos facile est tibi rumpere somnos,
A trita veniet sportula sæpe toga,

Endromis. cxxiv.

Pauperis est munus, sed non est pauperis usus :
Hanc tibi pro læna mittimus endromida.

Canusina fusca. cxxv.

Hæc tibi turbato Canusina sumillima mulso
Munus erit. gaude ; non cito fiet anus.

Bardocucullus. cxxvij.

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopithecorum pænula nuper erat.

Canusina rufa. cxxvij.

Roma magis fuscis vestitur, Gallia rufis :
Et placet hic pueris militibusque color.

Pænula scortea. cxxviii.

Ingrediare viam coelo licet usque sereno,
Ad subitas nunquam scortea desit aquas.

Lacerna coccinea. cxxix.

Si Veneto, Prasinove faves, quid coccina sumis?
Ne fias ista transfuga sorte, vide.

Pileus. cxxx.

Si possem, totas cuperem misisse lacernas :
Nunc tantum capiti munera mitto tuo.

Lacerna Batice. cxxxj.

Non est lana mihi mendax, nec mutor æno :
Si placeant Tyrice, me mea tinxit ovis.

Fascia pectoralis. cxxij.

Fascia crescentes dominæ compeſce papillas,
Vt ſit quod capiat noſtra tegarque manus.

Cænatoria. cxxxiiij.

Nec fora ſunt nobis, nec ſunt vadiſmonia nota;
Hoc opus eſt pictis accubuiſſe toris.

Lana, cxxxiv.

Tempore beumali non multum leuia profunt;
Calfaciunt villi pallia veſtra mei.

Lacerna alba, cxxxv.

Amphitheatrales nos commendamur ad uſus,
Cum tegit argentes alba lacerna togas.

Gauſapa villoſa, v. l. mantele, cxxxviij.

Nobilius villoſa tegunt tibi lineæ circum;
Orbis in noſtris circulus eſſe poteſt.

Cuculli Liburnici, cxxxviij.

Iungere neſciſti nobis, & ſulte, lacernas;
Indueras albas, exue callainas.

Vdonis Cilicij, cxxxviij.

Non hos lana dedit, ſed olentis barba mariti;
Cinyphio poterit planta latere ſinu.

Syntheſis, cxxxix.

Dum toga per quinas gaudet requieſcere luces,
Hos poteris cultus fumere jure tuo.

Focale, cxl.

Si recitaturus dederò tibi fortè libellum;
Hoc focale tuas aſſerat auriculas.

Tunica Patavina, cxlij.

Vellera cum ſumant Patavinæ multa trilices,
Et pingues tunicas ſerra ſecate poteſt.

Spongia, cxlij.

Hæc tibi ſorte datur tergendis ſpongia menſis,
Vtilis, expreſſo cum levis imbre tumet.

Pænula gausapina. cxliij.

Is mihi candor inest, villorum gratia tanta est,
Vt me vel media sumere inesse velis.

Cervical. cxliv.

Tinge caput Cosmi folio, cervical olebit :
Perdidit unguentum cum coma, pluma tenet.

Cubicularia gausapina. cxlv.

Stragula purpureis lucent villosa tapetis.
Quid prodelt, si te congelat uxor abus ?

Lodices. cxlvj.

Nudo stragula ne toro paterent.
Iunctæ nos tibi venimus sorores.

Amictorium. cxlvij.

Mammosam metuo : teneræ me trade puellæ,
Vt possint niveo pectore lina frui.

Cubicularia polymita. cxlvij.

Hæc tibi Memphitis tellus dat munera, victa est
Pectine Niliacæ jam Babylonis acus.

Zona. cxlix.

Longa satis nunc sum : dulci sed pondere venter
Si tumeat, fiam nunc tibi zona brevis.

Gausape quadratum. cl.

Lodices mittet docti tibi terra Catulli :
Non Helicaonia de regione fumus.

Semicinctium. cli.

Det tunicam dives : ego te præcingere possum.
Eisem si locuples, munus utrumque darem.

Lana amethystina. clij.

Ebria Sidoniæ cum sim de sanguine conchæ
Non video quare sobria lana vocer.

Lana alba. cliij.

Velleribus primis Apulia, Parma secundis
Nobilis : Altinum tertia laudat ovis.

Lana Tyria (Phrygia.) cliv.
 Nos Lacedæmonia pastor donavit amica;
 Deterior Ledæ purpura matris erat.

Lana Polentina. clv.
 Non tantum pullo lugentes vellere lanas,
 Sed solet & calices hæc dare terra suos.

Idem. clvi.
 Lana quidem trislis, sed tonsis apta ministris,
 Quales non primo de grege mensa vocat.

Tomentum Leuconicum. clvij.
 Oppressæ nimium vicina est fascia plumæ
 Vellera Leuconicis accipe rafa sagis.

Tomentum Circense. clviij.
 Tomentum concisa palus Circense vocatur.
 Hæc pro Leuconico stramina pauper emit.

Pluma. clix.
 Lassus Amyclea poteris requiescere pluma
 Interior cycni quam tibi lana dedit.

Fœnum. clx.
 Fraudata tumeat facilis tibi culcita pluma.
 Non venit ad duros pallida cura toros.

Tintinnabulum. clxj.
 Redde pilam, sonat æs thermarum. ludere pergis?
 Virgine vis sola lotus abire domum.

Discus. clxij.
 Splendida cum volitent Spartani pondera disci,
 Este procul pueri: sit semel ille nocens.

Cithara. clxij.
 Reddidit Eurydicen vati, sed perdidit ipse,
 Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Idem. clxiv.
 De Pompejano sæpe est ejecta theatro,
 Quæ duxit silvas, detinuitque feras.

Plectra, 165.

Fervida ne trito tibi pollice pustula surgat,
Exocent docilem garrula plectra lycam.

Trochus, 166.

Inducenda rota est: das nobis utile munus.
Iste trochus pueris, at mihi canthus erit.

Idem. 167.

Garrulus in laxo cur annulus oibe vagatur?
Cedar ut argutus obvia turba trochis.

Signum Victoria, 168.

Hæc illi sine sorte datur, cui nomina Rhenus
Vera dedit. decies adde Falerna puer.

ΒΡΟΥΤΟΥ ΠΑΙΔΙΟΝ, 169.

Gloria tam parvi non est obscura sigilli;
Istius pueri Brutus amator erat.

Sauroctonos Corinthius, 170.

Ad te reptanti puer insidiosè lacertæ
Parce: cupit digitis illa perire tuis.

Hyacinthus in tabula pictus, 171.

Flectit ab invisio morientia lumina disco
Oebalius, Phœbi culpa dolorque, puer.

Hermaphroditus marmoreus, 172.

Masculus intravit fontes, emerit utrumque:
Pars est una patris; cætera matris habet.

Danae picta, 173.

Cur à te, premium Danaë regnator Olympi
Accepit, gratis si tibi Leda dedit?

Persona Germanica, 174.

Sum figuli lufus rufi persona Batavi.
Quæ tu derides, hæc timet ora puer.

Hercules Corinthius, 175.

Elidit geminos infans, nec respicit, angues,
Jam poterat teneras Hydra timere manus: ia

Hercules fictilis, 176.

Sum fragilis: sed tu (moneo) ne sperne sigillum.
Non pudet Alciden nomen habere meum.

Minerva argentea, 177.

Dic mihi virgo ferox, cum sit tibi cassis & hasta,
Quare non habeas ægida? Cæsar habet.

Europa picta, 178.

Mutari melius tauro, pater optime Divum,
Tunc poteras, id cum tibi vacca fuit.

Leander marmoreus, 179.

Clamabat timidus audax Leander in undis,
Mergite me fluctus cum rediturus ero.

Sigillum Giberi fictile, 180.

Ebrius hæc fecit terris, puto, monstra Prometheus;
Saturnalitio lustr & ipse luto.

Homeri Batrachomyomachia, 181.

Perlege Mæonio cantatas Carmine Ranas,
Et frontem nugis solvere disce meis.

Homerus in membranis, 182.

Ilias & Priami regis inimicus Vlyses
Multiplici pariter condita pelle latent.

Virgii Culex, 183.

Accipe facundi Culicem studiose Maronis,
Ne nucibus positus ARMA VIRVMQ. legas.

Virgilius in membrana, 184.

Quam brevis iminensum cepit membrana Maronem
Ipsius vultus prima tabella gerit.

Menandri Thais, 185.

Hæc primum juvenum lascivos lustr amores;
Nec Glycere, verè Thais amica fuit.

Cicero in membranis, 186.

Si comes ista tibi fuerit membrana, putato
Carpere te longas cum Cicerone vias.

Cynthia

Cynthia Propertii Monobiblos. 187.
Cynthia, facundi carmen juvenile Propertii,
Acceptit famam, nec minus ipsa dedit.

Livius in membranis. 188.
Pellibus exiguis arctatur Livius ingens :
Quem mea non totum bibliotheca capit.

Sallustius. 189.
Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Ovidii Metamorphoses in mēbranis. 190.
Hæc tibi multiplici quæ structa est massa tabella,
Carmina Nasonis quinque decemque gerit.

Tibullus. 191.
Vixit amatorem Nemesi lasciva Tibullum :
In tota juxit quem nihil esse domo.

Lucanus. 192.
Sunt quidam, qui me dicunt non esse Poëtam :
Sed qui me vendit, bibliopola putat.

Catullus. 193.
Tantum magna suo debet Verona Catullo,
Quantum parva suo Mantua Virgilio.

Calvi de aqua frigida usu. 194.
Hæc tibi quæ fontes & aquarum nomina dicit,
Ipsa suas melius charta natabit aquas.

Mula paulle. 195.
His tibi de mulis non est metuenda ruina :
Altius in terra pæne sedere soles.

Catella Gallicana. 196.
Delicias parvæ si vis audire catellæ,
Narranti brevis est pagina tota mihi.

Asturco. 197.
Hic brevis, ad numerū rapidos qui colligit ungues,
Venit ab auriferis gentibus, Astur, equus.

Canis vertagus. 198.

Non sibi sed domino venatur vertagus acer,
Illæsum leporem qui tibi dente feret.

Palæstrita. 199.

Non amo, qui vincit, sed qui succumbere nō vult,
Et dicit melius τὴν ἀνακλινοπάλην.

Simius. 200.

Callidus emissas eludere simius hastas,
Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

Puella Gaditana. 201.

Tam tremulum crissat, tam blādum prurit, ut ipsū
Mastupratorem fecerit Hippolytum.

Cymbula. 202.

Æra Celænzos lugentia matris amores
Esuriens Gallus vendere sæpe solet.

Puer cinadus, 203.

Sit nobis ætate puer, non pumice, levis;
Propter quem placeat nulla puella mihi.

Cestros. 204.

Collo nectæ, puer, meros amores
Cestron de Veneris sinu calentem.

Idem. 205.

Sume Cytheriaco medicatum nectare cestrou;
Vssit amatorem balteus iste Iovem.

Notarius. 206.

Currant verba licet, manus est velocior illis;
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Concha. 207.

Levis ab æquorea cortex Mareotica concha
Fiat; inoffensa curret arundo via.

Morio. 208.

Non mendax stupor est, nec fingitur arte dolosa;
Quisquis plus iusto non sapit, ille sapit.

Capitulum

Caput arietinum. 209.

Mollia Phrixei secuisti colla mariti :
Hoc meruit, tunicam qui tibi sæpe dedit ?

Pumilio. 210.

Si solum spectes hominis caput, Hectors credas :
Si stantem videas, Astyanacta putes.

Parma. 211.

Hæc quæ sæpe solet vinci, quæ vincere raro,
Parma tibi, scutum pumilionis erit.

Pueri comædi. 212.

Non erit in turba quisquam $\mu\iota\sigma\acute{\rho}\mu\epsilon\upsilon$ Ⓞ, ista :
Sed poterit quivis esse $\delta\iota\sigma\tau\acute{\alpha}\tau\epsilon\theta\theta$ Ⓞ.

Fibula. 213.

Dic mihi simpliciter, comoedis & citharcedis
Fibula quid præstat ? carinus ut futuant.

Accipiter. 214.

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis idem
Decipit, & captas non sibi moeret aves.

Obsonator. 215.

Dic quotus, & quanti cupias cœnare ; nec unum
Addideris verbum : cœna parata tibi est.

Calami aucupatorii, 216.

Non tantum calamis, sed cantu fallitur ales,
Callida dum tacita crescit arundo manu.

Cor bubulum. 217.

Pauper caussidicus nullos referentia nummos
Carmina cum scribas, accipe cor quod habes.

Cocus. 218.

Non satis est ars sola coco : servire palato,
Atque cocus domini debet habere gulam.

Craticula cum veru. 219.

Parva tibi curva craticula sudet ofella :
Spumeus in longa cuspide fumet aper.

Pistor dulciarius. 220.

Mille tibi dulces operum manus ista figuras
Exstruit; huic uni parca laborat apis.

Adipata. 221.

Surgite, jam vendit pueris jentacula pistor,
Cristataeque sonant undique lucis aves.

FINIS.

EX CVRIS SECVNDIS.

PETRI SCRIVERII,

M. DC. XXI.

M A

Excerpta
Glossar

R VRE

Luce d
Partibus a
Iude lego,
Hinc oleo
Stringo li
Prandeo, p
Dum parv
Hæc dat n

Ad coenam
Ornatu
Auro non
Appou
Tunc ego,
Aut ap

Pontice, p
Magna

Pontice, sic
Non ad
Pontice, vo
Vox tua
Pontice, sic
Vis dic

Tacta plac
Tota pl